

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z


XLIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

D. Parenti substitui petimus: & mei labores propè sunt intolerabiles. Ignoscet igitur & brevitati hujus epistolæ, & tarditati historiæ; me certè familia vestra semper habitura est studiosissimum & obstrictissimum Reverendis viris, D. Parienti & Lutebachio sal. officiosiss. adscribo. Sed quòd penè oblitus eram: de addendis nostris nominibus ad form. Concordiæ, in alia, quam Consul noster, sum sententia, & puto nostros neq; Illustriss. Electori, neq; nobis irasci posse, si id fiat. Jam enim ante quadriennium hanc ipsam subscriptionis formulam nostris exhibuimus, & in Defensionibus meis aliquoties testati sumus, nos subscripsisse. Si istud ferre poterunt, ferent etiam nostra nomina extare. Mallem tamen cum Consule hac de re nihil fuisse actum: ego collegis meis nihil significabo, ut ipsi excusatione hac integra uti possint, se minimè conscisci istud factum esse; ego quomodo me excusè, videro. Bene in DOMINO, reverende frater, & vir clariss. vale, Argentorato, 23 Novembr. 1581.

Tuus in DOMINO frater

Joh. Pappus, D.



XLIII.

Salutem in servatore Christo. Reverende & clarissime

Domine Doctor Philippe, amice & frater plurimum colende.

RECÈ tu & piè de nostris rebus judicas, & ego quoque grato, ut par est, animo hanc mutationem dexteræ Excelsi considerans, Psalmum CXXVI. sæpè repeto. Verè enim in hac liberatione sumus quasi somniantes: ita insperatum est auxilium, quod misit Dominus. Quod verò de præsentia etiam, ut vocant, Ecclesiastici Conventus gratularis, agnosco ego amorem tuum, & studium erga me singulare, teque oro, ut quod ultrò promittis, tuis etiam me votis juves. Ut enim post Homerum Iliada scribere, sic ei succedere, cui successi, difficile utrunque est, & nescio an non hoc difficilius. Sed in infirmitate nostra virtus Domini atque potentia perficitur. Quod verò ad duas illas Conciones attinet, quas D. Parens p. m. habebat: eæ ad certum tempus M. Eliæ Schadio mandatæ sunt, in hunc finem, ut fratris Ulrici aliquando possit haberi ratio. Petebat M. Elias à Senatu, quia ære alieno satis gravi obstrictus erat, ut sibi succurreretur. Eam ego occasionem minimè negligendam putavi, sed communicato prius consilio cum Pastoribus, ostendi una opera & M. Eliam juvari, & M. Ulrico certum in nostra Ecclesia gradum posse inveniri, sive constitui.

tui. Et successit res, ut arbitramur, non incommodè. Mag. enim Eliæ in biennium proximum hæc duæ conciones decretæ sunt à Magistratu, simulque spes nobis facta de vocando ad eam functionem M. Ulrico, qui interea cursum Theologicum poterit absolvere. Mag. Elias pro opera illa biennii ducentos florenos accipiet. Nobis autem opera danda erit, ne memoriam Mag. Ulrici apud nostros patiamur obsolescere, & ut sub finem biennii, dum Molsheimius adhuc Consul erit, vocationem ejus procuremus. Sperabam quidem obtineri posse, ut altero statim anno vocaretur, sed nescio quid obstiterit.

Petro in menses duos, aut ad summum tres, in contubernio vestro sumtus pro victu, sed nihil præterea, suppeditabo. Nolim tamen ipsum intelligere, id beneficii à me proficisci, sed tuæ id humanitati & benignitati ascribat. Interim deliberabo una cum meis, quid sit faciendum. Ego enim adhuc persuadere mihi non possum, quòd seriam meditetur penitentiam; & ipse scit, quàm nulla de causa, ne asperiore quidem ullo verbulo à me læsus, secundo profugerit, cum paulò ante, magno sumtu è Vangionibus ipsam retraxissem. Sibi ergo consulat, qui meis consiliis noluit obtemperare, neque apud me paratum sibi receptum putet, unde proxima occasione profugiat. Pro tuo tamen studio & officio, quo mea causa advenientem excepisti, ingratis simus sim, nisi & habeam gratias & studeam aliquando oblata occasione referre. Nescio an dignus sit beneficio Dionysiano, quod tamen si consequi opera tua & studio posset, vel ad breve tempus, dum emendatio ipsius exploratur, non posset id mihi non gratissimum esse. Sed vereor, ut se tua commendatione dignum exhibeat. Habebis igitur ea in re tui quoque rationem, ne indignum unum promovendo, occasionem tibi met eripias juvandi multos alios dignos & bonos.

Reverendo & Clariss. viro Dn. Doct. Kirchnero, itemque D. Patiènti & Lautebachio sal. reverenter & officiosè ascribo, Deumque patrem Domini & Servatoris nostri Jhesu Christi toto pectore oro, ut ineuntem hunc annum, vobis totique Ecclesiæ faustum esse velit, & salutarem. Refalutant te officiosiss. Collegæ mei. Bene in DOMINO vale, Clariss. vir, & frater plurimum observande. Argentorato, 28. Decembr, Anno 1581.

R. D. T.

Studiofiss.

Joh. Pappus.

XLIV.